



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Antonii Mariae Gratiani A Burgo S. Sepulchri Episcopi
Amerini De Vita Joannis Francisci Commendoni Cardinalis
Libri Quatuor**

Graziani, Antonio Maria

Parisiis, 1669

Cap. VIII. Quae prima commendatio ejus ad Julium Pontificem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9616

*Quæ prima commendatio ejus ad Julium
Pontificem.*

CAPUT VIII.

HORTOS Julius extra Portam Flaminiam sumptu, atque opere sanè magno ædificabat, in eos nobilis, ac vetusti fontis aquam virginem duxerat. Antiqui operis statua eam virginis sopitæ somno, ac super vrnā recumbentis effundebat. Hanc celebrari carminibus varii generis, prout spatia lapidum erant, quibus incidenda essent, & Julius jussit, & certatim non Romæ solum, sed per Italiā quoque arrepta materia est decoris ingeniis. Commendonus sumum illud studium suum, quo à pueritia fuerat incensus, deque animi ad eam rem impetu plurimum remiserat; sed tum incitatus studio Pontificis, & contentione eruditissimorum hominum, & ipse epigrammata aliquot, & argumento, & intervallis apta composuit. Quæ cùm Julius legisset, (& habebatur talium peracutus æstimator) non probavit modò, sed omnibus prælata insculpi protinus jussit. Vocato inde ad se Commendono variè percunctando juvenis animum exploravit, expenditque. Quo deinde dimisso ad adstantes conversus, Majorum, inquit, laudum semina huic juveni insunt, majusque ingenium, quam

D iii

ut condendis versiculis occupetur. Et Commendonus, sive quòd satis inde fructus, famæque partum sibi, cāque decorari adolescentiam, virum alia decere existimarit, sive gravioribus intentus studiis; nam Theologiam tum magnâ vi aggrefsus erat, totam rem prorsus abjecit, desuitque, nec postea per omnem vitam attigit amplius, quamquam & factos ab aliis versus legit libenter, & subtiliter aestimavit. Sed suorum adeò pœnituit, vt etiam ab amicis accurate conquisitos, in quibus justa aliquot volumina, & tragœdiæ, & comœdiæ erant, omnes incendit, non anteà scribendis iis, quām tum abolendis intentior. Cùm multa ab eo de studiis litterarum sciscitatus Julius, triennii operam cognoscendo Juri civili insumptam didicisset, collaudato instituto ejus reprehendit, quòd probari, & appellari Jurisconsultum neglexisset. Commendonus in id triginta dierum spatio impetrato Patavium excurrit, ut quo in loco eam hauserat scientiam, ibi potissimum ejus ab se ratio redderetur. Atque ab Hieronymo Torniello, cui anteà Doctori operam dederat, deductus, vt assolet, laudatúsque summâ Collegii approbatione Jurisconsultus appellatus, Romanam ad diem commeatus rediit.